



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

47. de diuinæ voluntatis impletione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

DE VOLVNTATIS DIVI-
næ efficaci impletione.

DISTINCT. 47. CAP. Vnicum.

*Voluntas Dei efficax in homine sem-
per impletur.*

Voluntas quippe Dei semper efficax
 est, ut fiat omne quod velit, & nihil fiat
 quod nolit. quæ de homine semper
 impletur, quò cùque se vertat. Illa enim vo-
 luntas (ait August. in Euchirid.) semper im-
 pletur, aut de nobis, aut à nobis. De nobis
 impletur, sed tamē nō implemus eam quan-
 do peccamus. Hoc autem ipso quòd contra
 eius voluntatem fecerunt, de ipsis facta est
 voluntas eius. à nobis impletur, quando bo-
 num facimus.

*Voluntas
Dei de ho-
mine pec-
cata imple-
tur quādo*

punitur.

Sed quomodo cōtra Dei voluntatem ali-
Ro. 9. quid fieri dicitur? Dicatum est enim voluntati
 eius nihil resistere. *Dicendum, quòd fit ali-* **Obiectio.**
quid cōtra eius vel præceptionem vel prohi-
In psal. bitionem, sed non cōtra eius voluntatē, quæ
16. su- ipse est: nisi dicatur contra eam aliquid fieri,
per il- quia præter eam fit. quod notat Aug. dicēs:
lud, vt Quātū ad ipsos attinet, quòd Deus noluit fe-
non lo- cerunt: quātum verò ad omnipotētiā Dei,
quatur nullo modo id facere valuerūt. quasi dicat:
os meu, Fecerunt contra Dei præceptum, quod ap-
&c. pellatur voluntas: sed non fecerunt contra
 Dei voluntatē omnipotentem: quia hoc

Dilutio.

E P I T O M E

non valuerunt, &c. Et sic patet quod voluntas Dei, quae ipse est, inuicta semper permanet: voluntas autem signi non semper impletur. neque ideo præcepit omnibus bona, vel prohibuit mala, vel consuluit optima, q̄ veler ab omnibus bona quae præcipit, fieri, vel mala quae prohibet, vitari. Si enim veler, utiq; fierēt: sed ut iustitiam suam hominibus ostenderet, & mali essent inexcusabiles, &c.

D E C O N F O R M I T A T E
Voluntatis humanæ ad
Diuinam.

D I S T I N C T . Quadragesimæ octauæ
C A P . Primum.

*Non omnis voluntas quæ non vult quod
Deus vult, est mala: vel quæ
vult quod Deus vult,
est bona.*

P
ca. 101.
Sciendum quoque est quod aliquando mala est voluntas hominis idem volentis quod Deus vult fieri: & aliquando bona est voluntas hominis aliud volentis quam Deus. Ut enim bona sit voluntas hominis oportet attendere quid congruat ei velle, & quo fine. vnde August. in Enchirid. Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus nō vult, bona multo amplius multoq; certius voluntate. Nam illius mala voluntas